

DEMO. Animadverti sæpius, sed credebam, substantiam esse argenti.

GEBER. Erras: Sulphur est naturæ lotum, decoctumq; & pro parte fixum, habens in se naturam, splendorem & fusionem metallicam, sine hoc metalla generari nullo modo queunt. Ubi-
cunq; vero in copia abundaverit, ibi generantur metalla, idem testante Alberto de Meteor.

DEMO: Nascitur igitur vitriolum inter saxa?

GEBER: Minime, sed in terra.

DEMO: Quomodo intrabit igitur saxa, ut ibidem inveniatur dictum sulphur lotum?

GEBER. Montes metalliferi, in profundo non sunt petrosi, quemadmodum in superficie. Quare metallici cum fodiendo terram alumen inveniunt, scilicet vitriolum, non descendunt altius, sed eas mineras, sive metalli venas relinquunt. Sciunt enim, ibi metalla deficere. Idem asserit Plinius lib. 33. Accidit tamen, ut aliquando haud longe ab ejusmodi venis, sive mineris deficientibus, alia, quæ metallum habeant, reperiantur.

Cum vero ex naturæ operationibus (quemadmodum lib. 2. cap. 15. aperte monstravimus) sufficienter probare possimus, solum modo eas res, quæ naturam salis & aluminis habent, & similia, solubiles esse; Manifestum erit, etiam nostrum hoc vitriolum, per caloris subterranei virtutem solvi posse, quod solutum duplicem fumum exhalat ut lib. 1. cap. 12. dixi. Quia calor

Com-